

hinc patet, quam inepte ad id afferatur Paulinus textus, ad *Ephes.* v, § 22, etc. Sed bona venia ipsius theologi, ea non est mea opinio, et Paulinus textus afferitur ab aliis; dico enim ibi secundum alios. Meam autem opinionem aperte declaro num. 5, immediate sequenti, sic concludendo, quamvis tamen probabilis sit cum S. Antonio, Navarr., Azor., Valent., Suarez, Less., Bonacin., Laymann, Castrop. Illsung. citatis, et secutis a La Croix, lib. III, pag. 2, num. 493, quod maritus possit solum irritare illa vota, quæ, ut dictum fuit, præjudicant usui matrimonii, educationi prolis, vel administrat. familiæ.

(3. Quamvis tamen probabilis sit cum Sancto Antonio, Navarr., Azor., Valen., Suarez, Lessio, Bonacina, Laymann, Castropalao, Illsung. citatis, et secutis a La Croix, lib. III, part. I, num. 493, quod maritus possit solum irritare illa vota, quæ, ut dictum fuit, præjudicant usui matrimonii, educationi prolis, vel administrationi familiæ, cum subjectio uxoris respectu mariti fundetur tantum in contractu matrimonii, adeoque detur tantum in ordinem ad finem matrimonii.

(6. Mortua uxore, ususfructus dotis spectat ad maritum, proprietatis vero pertinet ad filios; leg. 1, cod. *De bonis matern.*; Rota rec., par. III, dec., 126, num. 2, et part. XI, dec. 368, num. 25. (7. Quid autem possit, vel non, maritus circa dotem, vivente uxore, et quando ejus dominium acquirat? *Vide* verb. *Dos*, art. 1, et art. 3.

(8. Maritus peccat mortaliter, si cogat uxorem ad communicandum coram se, seu ad subeundum candentis ferri, vel ferventis aquæ judicium in testimonium, quod non sit adultera. Ita Sotus apud Escobar lib. VIII, num. 381; La Croix, lib. VI, num. 675, et id esse absolute illicitum docet S. Thomas III part., quæst. 80, art. 6 ad 3; Suarez disput. 67, sect. 6; Dicastill., *De sacrament.*, distinct. 3, num. 280, et alii communiter, argum. cap. *Ex tuarum* 8, De purgatione canonice., cap. *Dilecti* 3, De purgatione vulgari, et capit. *Consuluisti* 20, caus. 2, quæst. 4, ubi expresse prohibentur hujusmodi probationes ad explorandam alterius innocentiam.

(9. Maritus quando possit, et debeat, seu non, debitum conjugale reddere, petere, et offerre? *Vide* verb. *DEBITUM CONJUGALE* per tot.

(10. Maritus a mortuis reviviscens non tenetur amplius pristinae uxori: maritus enim non tradidit uxori corpus suum, sicuti uxor non tradidit suum marito, nisi usque ad mortem, juxta illud Apostoli ad *Corinth.* VII. *Quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat.* Unde si adhuc vellent esse conjuges, de novo foret contrahendum. La Croix, lib. VI, art. 3, n. 418, ubi ex S. Thoma et Gobat testatur esse communissimam theologorum.

(11. Maritus occidens propriam uxorem prægnantem, cum non constet concludenter de proditione, gaudet immunitate; sed, annuente Sanctissimo, attentata atrocitate de-

lictorum, condemnatur in pœnam extraordinariam, dummodo non excedat decennium ad trirèmes. Sacra cong. Immunit. in *Melavitana* 3 Dec. 1670, lib. II *Dec.* Altovii., pag. 511.

(12. Maritus occidens propriam uxorem ad affectum ducendi aliam, et extractus ab Ecclesia ad formam bullæ, condemnatur, annuente Sanctissimo, ad pœnam extraordinariam, quæ non excedat trirèmes ad decennium. Ead. sac. cong. Immunit. in *Aceranen.* 2 Decemb. 1681, lib. II D. Altovii., pag. 2289.

(13. Maritus occisor propriæ uxoris gaudet immunitate; ad instantiam tamen sac. consultæ retinetur in carceribus usque ad novos ordines. Eadem sacra cong. Immunit. in *Beneventana* 24 Martii 1676, lib. I *Dec.* Altov., pag. 1222.

(14. Alia *vid.* verb. *Adulterium, Bona, Debitum conjugale, Dominium, Dos, Filius, Matrimonium, Uxor*; et verb. *Immunitas*, art. 2, num. 90, ubi datur novissima constitutio Benedicti XIV, incip. *Ex quo*, et altera ejusd. Pontificis incip. *Officii nostri*, secundum quas nunc intelligenda et moderanda sunt omnia quæ immunitatem concernunt.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(15. De jure mariti in uxorem legis Stryk. *Juridicar. dissert.*, vol. VIII, disp. 32, per tot. (16. Nota vero hic nobilitatem mariti communicari regulariter uxori, ita ut qui ex patre nobili et matre plebeia natus est, is pro nobili habendus sit: Besol., *Polit.* 1, c. 11, § 33; Carpzov., *Jurisprud. consistorial.*, lib. II, defin. 11.

(17. Quod si ex peculiaribus statutibus, sive ecclesiarum, sive ordinum, nobilitas utriusque ascendens requiratur, natus ex matre plebeia pro nobili haberi nequit; Rhetius, *Instit. jur. publ.*, lib. III, tit. 21, § 9; Matth. Stephan, *De nobilit. politic.*, cap. 5, num. 44.

(18. Num omnia mariti privilegia uxori communicentur, non conveniunt inter se doctores. Pro regula statuo, personale mariti privilegium, neque vivo, neque mortuo ipso marito, uxori prodesse; secus si maritus commode uti nequeat privilegio, nisi ejus usus liceat uxori; Stryk., *Juridic. dissert.*, volum. IV, disput. 25, cap. 4, n. 34, et plur. seq., ubi exemplis rem illustrat.

(19. Quoad privilegia ratione officii marito concessa, distinguendum ait Stryk., *Juridic. dissert.*, vol. IV, disp. 25, num. 41 et seq. « Inter officium annexum habens dignitatem, et in quod ignobile est, et plebeium; hoc casu nihil potitur mulier ne quidem vivente marito etc. nisi in casibus in jure expressis. In casu vero ubi ratione nobilitatis, et officii dignioris privilegium est concessum, patet illud etiam uxori, etc. Neque id iniquum, quoniam dignitas cum suo annexo transire debet, nominumque identitas identitatem ipsius arguere solet etc. Sed hæc ipsa intelligenda sunt de juribus, quæ in uxores cadere possunt. » Coufer et Myler., in *Gamol. Princ.*, cap. 2, ubi et jura

persequitur, quæ uxoribus principum, comitum, et baronum ex persona maritorum competunt.

(20. An in viduis permaneant jura mariti? Consule Stryk., *Jurid. dissert.*, vol. IV, disp. 25, cap. 4, n. 48, et plur. sequent.

(21. De marito quoque quæri solet an et quæ ex persona uxoris sortiantur, an ali-

quando sequatur forum illius, aut radius ejus coruscet? At de priori adi Stryk., *Exercit.* 9, thes. 28; Tiraquell., *De legib. conub.*, gloss. 2, num. 46, et de posteriori De Ponte, J. II, consil. 16, n. 23 et seq; Mastrill., *De magistrat.*, lib. IV, cap. 13, num. 20 et seq.

MARTYRIUM.

SUMMARIUM.

1. Martyrium quid sit. — 2. Ad martyrium in adultis requiritur, quod mors, seu cruciatus lethalis voluntarie acceptetur. — 3. Unde, si quis adultus in odium fidei Christianæ dormiens occidatur, et hic antea nihil cogitasset de morte ob fidem subeunda, sicque eam nullatenus acceptaverit, non est proprie censendus martyr. — 4. Esset tamen talis vere martyr, si prius cogitasset de morte ob fidem subeunda, et statuisset secum potius mori in vinculis et in tormentis, quam fidem Christi negare. — 5. Nedum mors ipsa, sed etiam cruciatus de se illativus mortis est sufficiens ad martyrium, ut patet de S. Jo. apostolo et evangelista. — 6. Ad verum martyrium non satis est pœna, vel tolerata mors, sed requiritur, ut toleretur ob causam fidei Christi. — 7. Hinc, si hæretici occiduntur propter sectam suam, quam profitentur, non sunt martyres, quamvis pro uno vero articulo occidantur. — 8. Non solum sunt martyres, qui expresse propter confessionem fidei, sed etiam qui pro defensione aliarum virtutum supernaturalium moriuntur, vel cruciatus lethales perferunt. — 9. Hinc S. Jo. Baptista est vere martyr, licet non expresse pro confessione fidei, sed pro reprehensione adulterii decollatus fuerit, et sic de variis aliis martyribus. — 10. Ad martyrium tria potissimum requiruntur, quæ assignantur. — 11. *Martyres* græcæ, testes latine dicuntur. — 12. Martyres sunt, non solum illi, qui violentam mortem, seu cruciatus lethales voluntarie perpessi sunt, sed etiam illi, qui a persecutoribus nostræ fidei comprehensi, varie vexati, in carcerem, vel in exilium missi, et ærumnis confecti usque in finem perseverantes, propter fidei, aliarumque supernaturalium virtutum confessionem, mortem naturalem subierunt. — 13. Item martyres sunt etiam infantes occisi ob odium fidei Christi. — 14. Imo etiam infantes in utero matris occisi propter fidem sunt veri martyres. — 15. Milites catholici, qui pro fide adversus hæreticos, vel

infideles pugnando occiduntur, non sunt proprie martyres. — 16. Si tamen in statu gratiæ sic genereose pugnando occiduntur, speciali gloria coronandi ad cælum evolant. — 17. Morientes ob amorem Dei in servitio peste infectorum non sunt proprie martyres. — 18. Seipos interficientes, etiam propter peccatum a se commissum, non sunt martyres. — 19. Non licet, seclusa rationabili causa, aut divino instinctu, provocare hostes fidei, et se martyrio ingerere. — 20. Afferitur clara ratio. — 21. Licet tamen interveniente divino instinctu, vel rationabili causa. — 22. Imo in variis casibus datur obligatio martyrium subeundi. — 23. Ad martyrium in adultis prærequiritur baptismus fluminis, si adsit opportunitas. — 24. Ad martyrium autem in adultis baptizatis, et actuali peccato mortali obnoxii prærequiritur confessio sacramentalis, si adsit opportunitas. — 25. Si tamen non adesset opportunitas confessionis, satis esset contritio supernaturalis, cum voto sacramenti pœnitentiæ. — 26. An in tali casu, sicut sufficit contritio supernaturalis cum voto sacramenti pœnitentiæ, ita sufficiat etiam attritio supernaturalis cum eodem voto? Seu quod idem est: An si quis bona fide, et invincibiliter ignarus, vel oblitus præcepti de contritione eliceret solum actum attritionis, ipse justificaretur ex opere operato, seu vi martyrii? Adducitur sententia negativa. — 27. Adducitur sententia affirmativa, quæ est communior, et verior, ad n. 28. — 29. Respondetur ad auctoritates adductas pro negativa sententia. — 30. Martyrium in adultis remittit omnem culpam, et pœnam. — 31. Martyrio decoratis respondet in cælo *laureola*, seu *aureola*, et quid sit? — 32. Martyrium confert gratiam probabilis in ultimo instanti vite, in quo eadem gratia nullo peccato mortali actuali impeditur. — 33. Cur in canone missæ non inveniuntur solum martyres, et non confessores. — 34. Martyrum numerus aequaliter disquiritur. — 35. Alia ad rem cum *Append.* 37 ad 75.

et saltem habitualiter perseverantis, censeatur mortem voluntarie acceptare, quamvis dormiens occideretur, et sic tanquam verus martyr esset habendus. Gobat in *Experient.*, tr. 2, an. 615; Reiffenst., *loc. c.* n. 45; La Croix, lib. VI, part. V, n. 231, cum Cajetan., Conineh., Bonac. ibi citatis.

(3. Dicitur secundo *mortis, seu cruciatus lethalis*, quia nedum mors ipsa, sed etiam cruciatus de se illativus mortis, est sufficiens ad martyrium, ut patet de S. J. apostolo et evangelista, qui fuit vere martyr, licet a ferventis olei dolio per miraculum illæsus evaserit, et morte naturali postea decesserit. Unde S. Augustinus, serm. 296 in *Natali apostolorum Petri et Pauli*, cap. 4, tradit eos, qui in tormentis et cruciatibus ob fidem a Deo miraculose præservantur, corona martyrii donari: « Non enim, ait, quia Joa. Apost. passio defuit, ideo passioni animus præparatus deesse potuit; non est

passus sed (corona martyr.), potuit pati. Præparation. ejus Deus noverat. Quemadmodum tres pueri arsurum missi sunt in caminum, non victuri. Negabimus eos martyres, quia flamma eos urere non potuit? interroga ignes, passi non sunt; interroga voluntatem, coronati sunt. »

(6. Dicitur tertio propter fidem Christi, ad demonstrandum, quod ad verum martyrium non satis est pœna, vel tolerata mors, sed requiritur, quod pœna seu mors toleretur ob causam fidei Christi. Unde S. Augustinus in *Psal.* xxxiv, serm. 2, n. 13, sic expresse habet: « Itaque martyres non facit pœna, sed causa; nam si pœna martyres faceret, omnes, qui gladio feriuntur, coronarentur. » Et antea n. 1 dixerat: « Multi hic patiuntur, et pro peccatis, et pro sceleribus suis; magna vigilantia quærenda est causa, non pœna: sceleratus enim potest habere martyris similem pœnam, sed tamen dissimilem causam. Tres erant in cruce, unus Salvator, alius salvandus, alius damnandus; omnium par pœna, sed impar causa. » (7. Hinc si hæretici occidantur propter sectam suam, quam profitentur, non sunt martyres, quamvis pro uno vero articulo, v. g. pro Trinitate, aut Incarnatione, seu Adventu Spiritus sancti occidantur, quia, ut dicitur ad *Hebræos* xi: *Sine fide impossibile est placere Deo*; et hæretici non habent veram fidem supernaturalem, cum hæc credat omnia a Deo revelata ab Ecclesia proposita, quod non faciunt hæretici, unum, vel alterum articulum fidei profitentes, et ceteros alios abnegantes.

(8. Dicitur quarto vel aliam virtutem Christianam, quia non solum sunt martyres, qui expresse propter confessionem fidei, sed etiam qui pro defensione aliarum virtutum supernaturalium moriuntur, vel cruciatus lethales perferunt; nam omnia virtutum opera, quatenus referuntur ad Deum, sunt quædam protestationes fidei, et qui potius vult mori, quam deficere a virtute, facto ipso protestatur Deum esse summe venerandum ac omnibus aliis bonis creatis præferendum, quod est articulus fidei Christianæ, ut docet S. Thomas 2-2, q. 124, artic. 5 Et communis aliorum. (9. Hinc S. Joannes Baptista est vere martyr, licet non expresse pro confessione fidei, sed pro reprehensione adulterii decollatus fuerit. S. Stanislaus episcopus Cracoviensis martyr veneratur ab Ecclesia, eo quod fuerit occisus propter salutares redargutiones, et sententiam excommunicationis latam in Boleslaum Poloniæ regem, se a gravissimis delictis emendare nolentem. S. Thomas Cantuariensis archiepiscopus martyr celebratur, quia pro defensione libertatis, et immunitatis ecclesiasticæ gladii impiorum occubuit. * S. Joannes Nepomucenus, ex unanimi consensu sac. congregationis Rituum, declaratus est vere martyr subisse; et inter sanctos martyres canonizatus est, cum mortem pertulerit nolens confessionis sigillum propalare. * Sic plurimæ SS. virgines sunt martyres ob toleratam mortem pro defensione virginitatis.

(10. Unde, ut vides, ad martyrium tria potissimum requiruntur. Primum est, ut quis mortem subeat, vel saltem cruciatus illativus mortis. Secundum, ut eam, vel eos voluntarie acceptet, et sustineat. Tertium, ut eam, vel eos sustineat propter veritatem, et confessionem fidei, vel propter alium virtutis actum relatum in Deum, in quo usque ad finem perseveret. (11. Martyres enim, ut expresse dicit S. Isidorus libr. vii *Ety-mologiarum*. cap. 21: « Martyres græce, testes latine dicuntur, quia propter testimonium Christi passiones sustinuerunt, et usque ad mortem pro veritate certaverunt: » et ut dicit S. Augustinus, *Annotationum in Job* cap. 39: « Martyr est intrepidus et alacer testis fidei salutaris, » juxta illud *Actorum* cap. 1: *Eritis mihi testes in Hierusalem*.

(12. Testimonium autem fidei, aliarumque Christianarum virtutum perhibetur, non solum ab illis, qui sanguinem fuderunt, et violentam mortem ab inimicis nostræ fidei voluntarie perpassi sunt, sed etiam ab illis, qui a persecutoribus nostræ fidei comprehensi, varie vexati, in carceres, vel exsilium missi, in ærumnis confecti usque in finem perseverantes propter fidei, aliarumque supernaturalium virtutum confessionem, mortem naturalem subierunt, ut patet exemplo SS. martyrum, et pontificum Marcelli, Joannis, Silverii, Martini, Pontiani, et Eusebii Vercellensis episcopi, quos Ecclesia pro martyribus colit.

(13. Item testimonium, et confessio fidei perhibetur etiam ab infantibus, qui licet nullum actum proprium elicere possint, quando tamen occiduntur ob odium fidei Christi, evadunt et ipsi martyres, ut patet in SS. Innocentibus, qui ab Herode immaniter propter Christum occisi, ejus præconium non loquendo, sed moriendo confessi sunt, adeoque ipsos Ecclesia tanquam martyres veneratur. Et ratio est quia, licet ipsi non sint capaces martyrii quoad actum internum virtutis, cum nullum possint elicere actum, quo acceptent martyrium propter fidem, sunt tamen capaces martyrii quoad opus externum mortis, per quod realiter conformantur cum passione et morte Christi; et reipsa propter fidem perdunt animam suam, adeoque eam rursus in cælis inveniunt, juxta illam generalem Christi promissionem *Matth.* x, v. 39: *Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam*. (14. Imo etiam infantes in utero matris occisi propter fidem, sunt veri martyres, quia revera perdunt vitam corporalem sibi in odium Christi, aut religionis ablatam, adeoque, ut sint veri martyres, militat eadem ratio de ipsis, ac de aliis. Sic Toletus, Henricus, Reginaldus, Vasquez, Bonacina, Dicastill., cum La Croix, lib. vi, part. 1, n. 337; Reiffenst., loc. cit., n. 42; Henno, tom. II, tract. *De baptismo*, disp. 6. concl. 2, et alii passim.

(15. Milites catholici, qui pro fide adversus hæreticos vel infideles pugnando occiduntur, non sunt proprie martyres, quia non voluntate, sed potius necessitate mortem sustinent; imo hanc hostibus inferrent, nisi

ab ipsis vincerentur. Neque similitudinem gerant Christi patientis, qui, ut jam prædixit Isaias, c. 53, v. 7, et dicitur *Actor.* viii, v. 32, *Tanquam ovis ad occisionem ductus est, sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum*. Et ut habetur in *Epistola* prima B. Petri Apostoli, cap. ii, n. 23: *Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, trahebatur autem judicanti se injuste*. Sic Tannerus, et Dicastil. cum La Croix, loc. citato, n. 235; Lessius, Laymann, et alii cum Reiffenstuel, loc. cit., n. 47. Et de facto Ecclesia nunquam consuevit colere pro martyribus tales milites in actuali pugna decessos; imo episcopi restiterunt Phocæ imperatori, cum vellet similes milites cæcos in bello haberi martyres, apud Spondanum, *Epitom.* tom. I, ad ann. 608, n. 2.

(16. Quamvis autem tales milites propter rationem adductam non sint proprie, et rigorose martyres, si tamen in statu gratiæ existentes pia intentione defendendi veram nostram fidem contra hostes ejusdem generose militantes occiduntur, summum meritum consecuti speciali gloria coronandi ad Paradisum evolvant, c. *Omni timore* 9, caus. 23, qu. 8, ubi ex verbis Leonis IV sic præcise habetur: « Omni timore, ac terrore deposito contra inimicos sanctæ fidei, et adversarios omnium religionum agere viriliter studete; novit enim Omnipotens, si quilibet vestrum morietur, quod pro veritate fidei, et salvatione patriæ, ac defensione Christianorum mortuus est, et ideo ab eo præmium cæleste consequetur. » Et S. Joannes a Capistrano suis cruce signatis militibus contra Turcas proponebat: « O quam felices qui in hac pugna Christi moriuntur, quia statim ab angelis cum sanctis martyribus, qui pro fide mortui sunt, coronabuntur. » Sic apud Wadingum ad annum 1456.

(17. Morientes ob amorem Dei in servitio peste infectorum non sunt proprie martyres. Est jam communis opinio enim affirmans, quod tales essent proprie martyres, fuit proscripta sub Urbano VIII et Innocentio X, ut testatur Augustinus Matthæucci in *Practica theologico-canonica*, tit. 4, cap. 2, § 5, n. 85. Et de facto ipsi nec censentur mori pro fide Christi, nec pro defensione alicujus virtutis supernaturalis, prout requiritur ad verum martyrium. Nec martyrologium Romanum solum citari ab adversariis sub die 28 Februarii, appellat eos proprie martyres, sed velut martyres, ibi: « Quos velut martyres religiosa fidelium fidei venerari consuevit, » enim velut indicat, ipsos dici martyres solum per quamdam analogiam et similitudinem, non vero secundum esse proprium et germanum.

(18. Seipsos occidentes, etiam propter peccatum a se commissum, non sunt martyres. Communis est certa. Imo Donatistæ, et Circumcelliones id docentes damnati fuerunt in concilio Romano sub Melchiodo Papa anno 313, Carthaginensi I, anno 344.

(19. Non licet, seclusa rationabili causa, aut divino instinctu, provocare hostes fidei,

et se martyrio ingerere. *Communis*, et colligitur ex sacra Scriptura, quæ tantum abest, ut ultroneam morti ingestionem consulat, quin e contra fugam præcipiat. *Matthæi* enim x, Christus ipse mandat: *Cum persequantur vos in civitate ista, fugite in aliam*; et id etiam facto docuit *Joannis* viii: *Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum: Jesus autem abscondit se, et exiit de templo*. Unde S. Athanasius, in *Apologia de fuga sua*, sic ait: « Verbum propter nos homo factus non indignum putavit, cum quereretur, quemadmodum et nos, abscondere se, cum persecutionem pateretur, et insidias declinare; » et sic fugit Apostolus persecutionem Hebræorum Thessalonicensium, fugit dictus S. Athanasius persecutionem Constantii imperatoris, et plures alii sancti, ut patet in annalibus ecclesiasticis. Hinc S. Augustinus, epist. 228, ad *Honoratum*, n. 5, sic ait: « Fugit Apostolus, cum a persecutore proprie ipse quæreretur: fugit S. Athanasius episcopus, cum eum specialiter apprehendere Constantius cuperet imperator. »

(20. Et quod, seclusa rationabili causa, aut divino instinctu, non liceat se temere martyrio ingerere, aperte ipsa ratio demonstrat, quia homo non est dominus vitæ suæ, sed Deus, ex *Sapient.* xviii: *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem*; et ex *Deuteronomio* xxiii, ibi: *Ego occidam, et ego vivere faciam*, et ex c. *Sinon licet*, caus. xxiii, q. 5, et ex l. *Liber*, ff. ad l. *Aquil*. Tum quia sic daretur occidenti gravissimi peccati occasio; tum etiam, quia ita se temere ingerere in martyrium est quædam Dei tentatio, ut advertunt Clemens Alexandrinus *Stromat.*, c. 5; S. Athanasius in *Apologia de sua fuga*; S. Gregor. Nazianzenus, orat. 10, *De S. Casario*, et orat. 20 in *S. Basil.*; S. Petrus Chrysologus, serm. 151, et S. Cyprianus, epist. 83, ubi dicit expresse, quod « temeritate non caret, temere procurare martyrium. »

(21. Dicitur autem notanter, « seclusa rationabili causa, aut divino instinctu, » quia, hoc interveniente, licitum est se martyrio ingerere, vel se ultro tyrannis et hostibus fidei sistere, ipsosque provocare, ut licite fecisse creduntur quotquot sancti et sanctæ martyres in Martyrologio, et in Brevariario celebrantur, ac in ecclesiasticis historiis commendantur. Unde S. Athanasius in *Apologia de sua fuga* sic ait: « Quod si quidam ex iis se persecutoribus dedit, non temeritate eo rapiantur, sed passim apud omnes profitebantur, a Spiritu sancto hanc sui oblationem profectam esse. » Et S. Augustinus loquens de variis virginibus, quæ ex tali divino instinctu se martyrio ingesserunt, et se, vel in flammis, vel in flumen motivo virginitatis servandæ, projece-runt, sic præcise ait: « Quid? Si enim hoc fecerunt non humanitus deceptæ, sed divinitus jussæ, nec errantes, sed obediētes; sicut de Samsone aliud nobis fas non est credere. » Et infra: « Qui ergo audit non licere se occidere, faciat, si jussit, cujus non licet jussa contemnere; tantummodo

videat utrum divina jussio nullo nutet incerto. » Sic id. Augustinus, lib. 1 *De civitate Dei*, c. 26, et concordat textus in cit. cap. *Si non licet*, caus. 23, q. 5. (22. Imo in variis casibus datur obligatio martyrium subeundi, ut si esset fides neganda, aut mors eligenda, si esset peccandum, vel moriendum, si id postulet fidei, aut religionis conservatio, si id foret necessarium ad vitandum scandalum, quod per dissimulationem vel fugam causaretur. *Communis*.

(23. Ad martyrium in adultis prærequiritur baptismus fluminis, si adsit opportunitas ipsum recipiendi. *Communis*. Et ratio est, quia martyrium subituri non excusantur ab onere observandi divina præcepta; in *Epist.* enim prima Joannis, cap. II, dicitur: *In hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus: qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est*. Præceptum autem baptismi est expressum in sacro textu Joann. III: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; et sine baptismo fluminis, aut ejus voto nullum adultum posse salvari definit conc. Trident. sess. VI, cap. 4. Unde, qui, data opportunitate ipsum recipiendi, nollet recipere, peccato mortali omissionis poneret obicem gratiæ martyrii, nec per martyrium justificaretur.

(24. Ad martyrium autem in adultis baptizatis, et actuali mortali peccato obnoxii prærequiritur confessio sacramentalis, si adsit opportunitas; penitentia enim sacramentalis est omnibus post baptismum lapsis per se necessaria ad salutem, sicut nondum regeneratis ipse baptismus, ut definivit conc. Trid., sess. XIV, cap. 2, *De penit.*: ibi: « Est autem hoc sacramentum penitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus, » ut idem definivit cap. 5 ejusdem sess. XIV. Unde qui, data opportunitate, scienter nollet peccatum suum mortale sacramento penitentiae subicere, novo peccato mortali omissionis poneret obicem gratiæ martyrii, nec per martyrium justificaretur, nec habendus esset ut martyr, quamvis a tyranno in odium fidei occideretur. *Communis*.

(25. Si tamen non adesset opportunitas confessionis, satis esset contritio supernaturalis cum voto sacramenti penitentiae, quod in ipsa includitur, ex concil. Trid. sess. XIV, c. 4. Adulti enim martyrium pro Christo subituri, non debent esse deterioris conditionis, quam ceteri fideles, in quibus, in defectu opportunitatis confessionis, sufficit contritio cum voto Sacramenti, ut definit concil. Tridentin., sess. cit. XIV, cap. 4. *Communis*.

(26. An autem in tali casu, sicut sufficit contritio supernaturalis cum voto sacramenti penitentiae, ita sufficiat etiam attritio supernaturalis cum eodem voto? Seu quod idem est, an si quis bona fide, et invincibiliter ignarus, vel oblitus præcepti de contritione, eliceret solum actum attritionis, ipse justificaretur ex opere operato, seu vi martyrii? Gravis est controversia inter doctores. Ne-

gativam sententiam esse communem SS. Patrum, et antiquorum scholasticorum doctrinam testatur Vasquez, in part., tom. II, disp. 153, cap. 12, et ex ipso Laymann, lib. III, sect. 3, n. 6, et de facto eam tenent S. Th., in part., qu. 66, art. 12, ad 2, et 2-2, q. 14, art. 2, ad 3; S. Bonavent., in 4, dist. 4, part. II, art. 1, q. 2, n. 51, et 54; Alensis part. IV, qu. 12, memb. 6 art. 1; Paludan., in 4, dist. 4, qu. 3, art. 1, concl. 1, Durand. in 4, dist. 4, qu. 8, ad 2; Laymann, *loc. cit.* n. 6; Vasquez, *loc. cit.*, cap. 1; Canus, Bannes, et alii per textum Apostoli, *I ad Corinth.* XIII, ibi: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*.

(27. Econtra sententiam affirmativam tenent Cajetanus, Scotus, Præpositus, Valentia, Bellarminus, Suarez, Coninck, Tannerus, Lessius, Bonacina, Castropalao, Raynal., Platel, Sporer, Illsung, Aversa, Dicastill., Gobal, Corm., cum La Croix lib. VI, part. I, num. 238; Lauræa, in III, part. II, disput. 2, art. 9, n. 146; Frassen, tr. 1, disp. 1, qu. 4, concl. 2, *De sacram. baptismi*; Esparza *Curs. theol.*, tom. II, lib. X, qu. 41; Pontius *Theol.*, tract. 11, disp. 41, qu. 1, num. 3; Matthæus in *Practica theologico-canonica*, tract. 4, cap. 1, § 1, num. 40; Henno, tom. II *Tract. de baptismo*, disp. 6, qu. 3, concl. 2; Felix Potestas tom. I, part. IV, num. 2944, et alii recentiores passim cum Reiffenstuel *Theolog. mor.*, tr. 7, dist. 1, qu. 6, num. 59, ubi citat S. Th., part. III, qu. 87, art. 1; Scotum, in 4, dist. 14, qu. 1, § *Ex his*, qui revera hanc tenent, licet ab aliis citetur pro alia sententia, Mastrium, Herinex, et alios, et hanc tenent Tertullianus in *Apolog.*, ubi dicit: « Quis non pati exoptet, ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sui sanguinis expediat? Omnia enim huic operi delicta donantur. » S. Thom. cit. part. 2, qu. 87, art. 1, ad 2, ubi sic ait: « Passio pro Christo suscepta obtinet vim baptismi, et ideo purgat ab omni culpa, et veniali, et mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhærentem. » Et expressius S. Augustinus lib. XIII *De civit.*, cap. 7, ubi sic præcise habet: « Quicumque, etiam non percepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit: *Si quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum celorum*, alia sententia istos facit exceptos, ubi non minus generaliter dixit: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est*; et alio loco: *Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam*. Hinc est quod scriptum est: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (qui vel jam sancti sunt, vel per martyrium fiunt). Quid enim pretiosius quam mors, per quam fit ut delicta omnia dimittantur, et merita cumulatius augeantur? » Et consimiliter loquuntur alii SS. Patres apud Platel, part. V, num. 156, martyrium æquiparantes baptismo, imo majorem vim, seu

virtutem ei tribuentes, quam baptismo, ut inter alios dicit S. Cyprianus in *Exhortat. ad martyres*, ibi: « Hoc baptismus, nempe sanguinis, in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius. » Baptismus autem justificat cum sola attritione supernaturali, ut concedunt omnes ex Trid., sess. VI, cap. 6, ubi nulla fit mentio de contritione perfecta, adeoque etiam martyrium cum sola attritione supernaturali, juxta censum nostræ conclusionis, justificabit adultum peccatorem, seu conferet ei primam gratiam ex opere operato, ex privilegio, seu promissione Christi *Matth. X, v. 32: Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est*; et *ibid. 39: Qui perdidit eam, inveniet eam*; et *Marci VIII, v. 35: Qui autem perdidit animam suam propter me et Evangelium, salvam faciet eam*; et *Lucæ IX, v. 24: Qui perdidit animam suam propter me, salvam faciet illam*. Ubi, ut vides, martyrium pro defensione fidei toleratum, elevatum est ad tantam excellentiam, ut quis ex attrito fiat æqualiter contritus, quatenus illius vi et efficacia per speciale Christi privilegium gratiam sanctificantem, et salutem æternam consequitur.

(28. Tum quia tres dantur baptismi, scilicet fluminis, flaminis, et sanguinis; si autem baptismus sanguinis, seu martyrium prærequireret ad justificationem contritionem perfectam, essent tantum duo baptismi, scilicet fluminis, et flaminis, cum tunc martyrium non justificaret, sed contritio ipsum præcedens, sicque falsum esset annexam esse martyrio ex speciali privilegio Christi, seu ex opere operato collationem gratiæ, adeoque non darentur dicti tres baptismi, quod videtur esse contra communem sensum: unde hæc secunda sententia est communior et verior.

(29. Ad auctoritatem autem illam Apostoli: *Si tradidero corpus meum*, etc., quæ videtur esse Achilles adversariorum, respondeatur cum SS. Theodoret., Anselm., Thom. et Suarez, quos citat, et sequitur Tirinus in d. *Epist. I S. Pauli ad Corinth.* XIII, v. 3, quod utique, si tradidero corpus meum ita ut ardeam, vel exurar, in hoc sensu v. gr. pro patria servanda, vel pro inani gloria, vel etiam pro fide Christi tutanda, sed odio erga proximum, vel alio mortaliter peccandi affectu reservato, vere nihil mihi prodest. Et in hoc sensu intelligendæ sunt etiam sententiæ SS. Patrum, quando dicunt quod martyrium non habet rationem baptismi sine charitate, seu sine charitate non valet ad salutem, et hujusmodi, et præsertim D. Thom. in illis locis, ubi citatur sic exponat, et intelligat Apostolum *loc. cit.*, seu respondeatur cum Frassen *loc. cit.*, Henno *loc. cit.*, et aliis, martyrium sine charitate antecedente, et concomitante nihil prodest in eo, qui vel antecedentem, vel concomitantem habere potest, concedo; nihil prodest in eo, qui neutram habere potest, cum sit libertatis, et rationis impos, seu, in sensu nostræ conclusionis, bona fide, et invincibi-

liter ignarū, vel oblitus præcepti de contritione, elicit solum actum attritionis, nego. Imo Suarez tom. III, in III part., disp. 22, sect. addit, quod si quis reus criminis mortalis, immemor contritionis, et attritionis, eliciat propositum, seu voluntatem efficacem obeundi martyrium pro fide Christi, et statim durante tali proposito martyrizetur, adhuc hic justificetur ob virtutalem aliquam attritionem inclusam in illo proposito subeundi martyrium pro Deo ex motivo spei, consequendi scilicet beatitudinem, cum tali spe detestetur implicite peccatum hujus beatitudinis impeditivum. Semper autem in attritione requiritur initium amoris Dei.

(30. Martyrium in adultis remittit omnem culpam, et poenam, nihilque remanet in martyre, quod ipsum removeretur ab ingressu gloriæ cælestis. *Communis*, arg. cap. *Cum Marthæ 9*, De celebrat. missar., § *Tertio loco*, ubi dicitur: « Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre. »

(31. Martyrio decoratis respondet in cælo laureola, seu ut teste Gobat tom. I, tract. 2, n. 618, cum S. Thom. loquuntur communius theologi, et canonistæ, aureola, id est speciale gaudium proveniens ex tam excellenti victoria, et redundans in corpus, cum peculiari decore illarum partium, in quibus passi sunt martyres, ut satis indicat S. Augustinus lib. XXII *De civitate Dei*, cap. 20, et clarius serm. 103 et 115, *De divers.*, et docent Raynaud, *De martyrio* p. II, p. 6, n. 33; Gobat, *l. c.*, n. 619; La Croix, *l. c.*, p. 242; Dicastill. *De baptism.*, d. 3, n. 51.

(32. Martyrium confert gratiam probabilis in ultimo instanti vite, in quo eadem gratia nullo peccato mortali actuali impeditur, quia SS. Patres dicunt tunc conferri quando martyr amplius peccare non potest. Raynaudus, *loc. cit.*, n. 23; Platel., part. V, n. 171. Illsung *Theol. moral.*, t. IV, disp. 1, n. 24. Matthæus, *loc. cit.*, n. 44; Henno, *loc. cit.*, qu. V, concl. 2., et alii.

(33. In canone missæ martyres solum, et non confessores nominantur, quia, ut dicit Innocentius III, lib. III *Myster. miss.*, cap. 10, canon fortassis fuit editus prius, quam Ecclesia memoriam sanctorum confessorum solemniter celebraret, quem canonem varii censent a S. Clemente fuisse ordinatum, et ei subinde quidquam aliud ab aliis Summis Pontificibus esse additum; ulterior autem ratio, et satis verisimilis videtur, quod congruentius in canone fiat memoria, non sanctorum confessorum, sed martyrum, quia ipsi effusione proprii sanguinis imitati sunt passionem Christi, cujus representatio fit in sacrificio altaris: Matthæus, *l. c.*, 4, et alii.

(34. Tam copiosus est numerus sanctorum martyrum, ut solum Romæ unius mensis spatio decem septem milia Christiani sub Diocletiano imperatore fuerint martyrio coronati; et in Ægypto centum quadraginta quatuor milia, ultra septem centum milia exsilio demandati. Unde Genebrardus, in *Chronico*, numerans omnes Christianos martyrio coronatos in decem persecutionibus, assignat triginta milia cuilibet diei